





14

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
**OBSERVATIONES BINAS**  
DE  
**LÆSIONIBUS CAPITIS**  
EARUMQUE  
**EPICRISIS**  
QUAM  
SUB AUSPICIO DIVINO  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
CONSENSU  
**PRO LICENTIA**  
**GRADUM DOCTORIS**  
RITE CONSEQUENDI  
**DIE XVI. AUGUSTI MDCCCLXX.**  
H. L. Q. C.  
SOLENNITER DEFENDET  
**JOHANNES PHILIPPUS KEES**  
GELNHUSANUS.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII, Universitatis Typogr.

DEO  
PATRIÆ  
PARENTIBUS  
PATRONIS  
ATQUE  
AMICIS  
SACRUM



## Proœmium.

**C**hirurgica Ars, cui omnis reliqua Medicina suam originem acceptam refert, variis certe & secundis & adversis agitata fuit fatis ab ortu suo ad hæc usque nostra tempora. Nunc enim in honore habita, a maximis culta Viris, nunc anilibus fabulis mixta, nunc ignobilibus artibus adscripta atque contemta fuit. Fabulosa quidem non repetenda hic sunt tempora, quibus PODALIRIUS, MACHAON aliisque manuariam Medicinam fecisse dicuntur; sed ut ad veros Artis annales nostros statim figamus oculos, divus nostras HIPPOCRATES & Chirurgiæ certe æque ac Medicæ Artis summe fuit studiosus. Quod autem in posterum divisæ fuerint istæ Scientiæ, non quidem ideo factum est, quod Chirurgiam despicerent Medici, sed ob ipsum Artis ambitum, cui vix hominis vita sufficiat; ita enim CELSUS hujus divisionis historiam refert, ipse, si quis alius inter optimos Chirurgiæ Auctores referendus. Sequentia vero si consulimus tempora, GALENUM offendimus, cui an magis detrimenti, an incrementi debeat manu Medendi Ars? dubitant quidem Eruditi, sed secuti tamen PAULUS atque AETIUS, Chirurgiam certe scriptis suis non leviter illustravere. Cito hic pede transibo Arabum tempora, inter quos ALBUCASIN maxime Chirurgiæ gnarum memorant; nec Latino - Barbarorum me morabitur ætas, quæ JOHANNEM A VIGO, GUIDONEM A CAULIACO, quatuorque Magistros inter celebres suos Viros numeravit; quantos tandem in Chirurgica Arte Viros ex-

A

hibent bina proxime præterlapsa secula, VESALIUM scilicet, FALLOPIUM, PARÆUM, HILDANUM, FABRICIUM, SCULTETUM, SEVERINUM, HORNİUM, multosque alios, quorum nomina Artis fasta immortalia fecerunt! Sed infausta præprimis ista volo tempora, quibus se ipsos turpiter despiciētes Artis Magistri ignobilem fecerunt artem ex nobilissima Scientia, tonsorum sibi conciliarunt officia, sanorum artis principiorum ignaros homines sibi adsciverunt, seque, cum Medicorum pares atque amici merito esse deberent; eorum servos atque adulatores fecerunt. Factum est inde, ut humana imbecillitate participes eorum temporum Medici, iniqui rerum existimatores, uti Chirurgos, ita & Chirurgicam Artem haberent contemtui, summaque rerum potirentur; ex eo indelebilis ista inimicitia, qua præsequuntur se invicem Medici Chirurgique, præcipue vero Galli, qua in gente primum in pristinum suum splendorem elata fuit optima Ars, hinc turpis illa saepe Medicorum in chirurgicis rebus ignorantia, quam merito atque acriter tangunt hinc inde cordati; hinc inanis non raro Chirurgorum arrogantia a), artisque quam profittentur imperitia; hinc eheu! mille horniūm mortes, quos servare potuisse Medicus, Chirurgi peritiae potius quam sibi confisus, quos ex Medicorum potius quam suo confilio curasset Chirurgus rerum suarum fatagens. Lugent hasce calamitates veri quique Medici atque Chirurgi, omnique data opera hocce Artis scandalum removere junctis viribus student, felices se reputantes, ubi oraculis suis contentientibus exque veris Artis principiis manantibus hominum vitam servant. Eo quoque fine in hacce celebri Universitate eo respiciunt Venerandi Præceptores, atque præprimis Vir Excell. atque Experientiss. Dn. LOBSTEIN, Anatom. & Chirurg. P. P. O. cuius doctrina usum me fuisse, dulcis & grata usque erit memoria, ut qui Medicinæ

a) Videantur quoque de his verba Cel. PLATNERI, *Inst. Chirurg.*  
§. 6. not. \*\*.

operam dant, & sana Chirurgiæ fundamenta ita addiscant, ut omnino hujus Artis Peritis a consiliis esse possint, atque hac ratione promoveatur ægrorum salus.

Cum itaque in majorem quotidie Celeberrimorum Virorum conatibus existimationem evehatur ars, quæ manus curat, mirabiliaque sint, quæ inde capit incrementa, laudabilem & ego operam suscepturnum me esse existimavi, dum ad emittendum Specimen Academiæ legibus adstrictus, difficulter de Lastonibus Capitis doctrinam juvenili calamo exponere suscepi, præfertim cum Artis optimæ olim alumno aliqua sit in eam prædilectio. Suppeditant autem mihi pertractandæ hujus doctrinæ opportunitatem memorabiles quædam, quas hic præmittam, Observations, ab ipsis, qui ægrorum curam gesserant, Experientissimis Medicis mihi hunc in usum concessæ; quod beneficij genus omnino gratissima mente usque recordaturum me lubens hic profiteor.

---

*Observationem primam exhibuit Experientiss. Dominus CORVINUS, Med. Doctor, hujusque urbis Sagacissimus Practicus, Patronus atque Fautor, multorum quæ in me cumulavit beneficiorum titulo mihi pie colendus, quem in Clinicis Praeceptorem atque Ducem per biennium habuisse magnam felicitatem duco, & gratus semper recordabor; eam ipsius Exper. Viri calamo exaratam ita accipe:*

“Triginta octo annorum Vir, cuius temperamentum ex sanguineo atque melancholico mixtum, aurigam agens, currum regebat, quo plures vehebantur homines, rus proficiscentes. En equus alacris, ubi extra urbem per ventum est, rectoris impatiens, domari recusans, humili prosternit currum virumque, qui in terram lapidosam fati adeoque duram impingit, animoque deficiens jacet. Auxilium laturi accurrebat, qui eadem deambulabant via, sed præcavendo tamen non pares erant, quin ante-

rioribus pedibus & caput & pectus vehementer illi percuteret equus; quo facto delatus est vicinam domum pro mortuo habitus. Factum id est octava Decembris anno proxime præterlapso. Accersitus extemplo Chirurgus, largam protinus ex brachio mittit sanguinis copiam, ita ut loquela recuperans, quædam, sine sensu tamen, proferret verba. Itur quoque ad me, qui vesperam versus adveniens recitantem audio plures quidem precum formulæ, sed nullum dedit ad interrogata responsum. Præscribo temperantem mixturam Specifico Ceph. Mich. atque Liquore C. C. Succ. animatam, omni hora ad duo cochlearia capienda, cum Clystere ex Spec. emoll. atque Carminativis totidem horarum spatio reiterandum. Postridie eadem rerum facies erat. Iteratur missio sanguinis ex cubito, pilos jubeo abscindì, sed accurate inspicienti non nisi minimum vulnusculum sese offert in occipitis regione pone aurem sinistram, ubi transversalis cerebri sinus incedit; igitur præter ea, quæ hesterna præscripsérā die, Fomenta ex Herbis aromaticis cum Vino ejusque Spiritu, atque stimulantia Clysmata fuasi. Meridiem versus tunditur rursus vena in brachio, versus vesperam Saphena; in usum quoque boli ex Nitro & Pulvere Carthusian. trahentur, interpositis potulentis saponaceis. Quo tempore vocatus in consilium Vir Excellentiss. atque Experientiss. Dn. LOBSTEIN, *Med. Doctor, & Anatom. & Chirurg. Prof. P. O.* Hisce præscriptis suum addidit calculum, conclūsumque fuit ut tertia die, quum non in melius ægroti status fuerit mutatus, Venæsecchio in pede rursus institueretur, cruribusque imponerentur Vesicantia; quibus fatis post meridiem præbet se tumor pone aurem sinistram, quo loco vulnusculum illud fuisse antea præcepi, quem fætus extollebat in cellulas effusus. Pergitur externis internisque eisdem. Sequuta nox inquieta, nec constabat animus.

Quarta tranquille magis habebat se, nulla pulsus ad-

erat durities. Occipitis tumor increverat; apparebat præterea sanguinea macula, digito longa super oculum finitrum. Purgatus Eccoprotico cum Antiphlogisticis maritato.

Quinta rufus lethargice decumbebat, quod & die sequenti ita evenit. Canthrides itaque Nuchæ etiam fuerre applicite, quæ largam fatis manantis liquidi copiam fundebant. Fomenta usque imponebantur Occipitis tumori, factumque est, ut extenderet se iste ad maxillam usque inferiorem, quæ spasmoidice clausa vix admittebat cochlear, quo exhibebatur quid Mixturae antiphlogisticæ cum Nitro & Camphora. Exinde impositæ sunt Cucuphæ, non caput solum, sed faciem quoque tegentes, quas sub mento ligari oportebat, ne infautis suis conatibus eas detraheret æger, frequentius reiterandæ. Memorabilis præprimis erat, ab initio morbi per totum ejus decursum, alvi & urinæ incontinentia; nec prætermittendum esse censeo, frontis lateris sinistri partem sæpiissime, quamprimum paulisper excitaretur æger, manu tetigisse.

Sexta die perstatabat eadem hucusque facies rerum: aberat animus; pedes tamen volutabat, cum deligarentur Vesicatoria. Horis pomeridianis Scapulis atque dorso curbitula derivandi scopo fuere impositæ. Tunc elapsis horis aliquot reclusit oculos, responsionesque minus conditas ad quæsita efferebat.

Lethargo dum sepultus esset, perpetuum ore emittebat flatum, quasi pennulam agitaturus. Excitatus dein aliquantulum, sibilare coepit continuo ad decimum quintum usque diem, quasi equos ad bibendum alliceret; quum elevata voce aliquid ex eo quæsiveris, aperuit oculos, respondit concinne, hoc facto autem sibilavit iterum toto hoc temporis decursu.

Septima Occipitis tumor sponte apertus est, effluxit pus stagnante mixtum sanguine. Erunt quidem, quibus mirum videatur, quod scalpelli opera non simus usi, ut Naturam præoccuparemus; sed obstabat cognitorum per-

tinacia. Sanguineus & ille super oculum tumor repetitis  
dein sequentibus diebus cucurbitularum impositionibus  
tandem quoque evanuit. Reclusa igitur maxilla altero  
quovis die Serum Lactis, cum Crem. Tart. cui Sal med.  
Nitrum & Syr. Fl. Persic. inerat, exhibitum est ægro. Sic  
decem præterierant dies, quibus effluxis,

Undecima magis mente constabat, sermones rationi  
consentanei iterum, nuncque primi fitim, ut falleret,  
haustum petierat; nec tamen ideo sibilus cessabat. Nunc  
paulatim omnia in melius vergere coeperunt. Truncus,  
quem haec tenus dira tenebat rigiditas, flecti nunc patiens,  
ita ut erigeret se in lecto æger, quem vigesima primum pau-  
lisper relinquebat. Vespertinis tamen horis redibat hucus-  
que desipientia. Tunc exhibimus ægro Chinam cum  
Rheo Amarisque maritatam; imposuimus capiti aromati-  
cas Herbas siccias in fasculis eo cum successu, ut, quod re-  
liquum erat morbi, felici sidere depelleretur, rediret cibo-  
rum appetentia dulcisque somnus.

Sextam tandem post septimanam ad consuetos rever-  
sus est labores. Vir graviter læsus, quos expedite abhinc  
suscepit, nulla relicta labe. Mente hilaris, corpore qua-  
dratus, facie floridus suam nunc vitam transfigit."

*Observationem secundam debo Viro Exper. atque Excell.*

DN. EHRMANN, Med. Doct. atque Prof. Extraord.  
Patrono, Fautori atque Præceptorí Summe Venerando,  
cujus in Clinica Praxi præcepta me in Nosocomio civium  
hausisse grata non desinam recolere mente.

"Operarius quidam, quum super currum stramine  
oneratum stetisset, vertigine ex improviso correptus, ita  
quidem de isto præcipitem dedit, ut caput summo cum  
impetu ad faxa offendiceret. Semianimis in Nosocomium  
mox delati corpus sedulo examinatum, præter fugillatio-  
nes passim in cute conspicuas, nil, quod externe læsum

fuisse, exhibuit, nec depresso in capite, nec ulla crani<sup>ii</sup>  
 fissi indicia observari potuerunt; hemiplecticus tamen fuit  
 deprehensus in sinistro latere, quin & Paralytic<sup>i</sup> Sphincte-  
 rum Ani & Vesicæ laboravit, incisie penitus ac involunta-  
 rie excernens. His accessit, ut mentis haud compos aut  
 Lethargo laboraret, aut evigilans absonta plane efferret de-  
 lirans æger, continuo tamen dextra bregmatis sinistro ossi  
 admota, partis, quam super ceciderat, atque dolorum  
 sedis indicia dedit, adeo usque, ut si vel levissime pars  
 illa tangebatur, ægrotus confestim dolorum efficaciam  
 persentiscens ulteriore tactum recusaverit. Ceterum iste  
 per totius morbi decursum nunquam non bene adpeit  
 atque digesit, somnoque placido ipsi simul frui licuit.  
 Cum igitur præter succussum capitis violentum nil lefi ul-  
 tra potuerit detegi, perforationem Calvæ superfluam ac  
 inutilem reputavimus. In usum trahebantur potius, quæ  
 humores stagnantes aut fortassis extravasatos mouere eos-  
 demque a superioribus derivare valebant. Venæsectiones  
 ratione virium habita instituebantur, pulsus enim fortis  
 inveniebatur. Nuchæ atque Suris imponebantur Vesican-  
 tia, abscindebantur capilli, capitique raso applicabantur  
 Epithemata ex Spec. Ceph. aromaticis vino rubro incocta,  
 Clysmata Elect. Catholico acuta saepius injiciebantur, &  
 Tartarus emet, sufficienti aquæ quantitatib<sup>is</sup> immersus per vi-  
 ces propinabatur, ex quo ægrotus vomitum quidem nul-  
 lum, copiosiores autem sedes experiebatur; Infusum quo-  
 que theiforme ex Florum Arnica Pug. ij. Verbasci Pug. j.  
 & Sem. Anisi ʒj ipsi saepius ingerebatur. Hisce remediis  
 adhibitis ægrotus melius se habere incepit, sensimque ad  
 se rediit, nec tamen ad quæstiones ipsi propositas apte ad-  
 hac respondit. Rebus ita constitutis Resolventia porro in  
 usum trahebantur, Pilulæ scil. ex Pulveris Carthusianorum  
 Gr. j. Camphoræ Gr. jv. & Nitri Gr. vj. confectæ bis de  
 die ingerebantur; Laxantium vero usus aliquoties inter-  
 ponebatur, ita ut æger Salis Sedlicensis aliquot Uncias par-

titis vicibus sumferit; tentata quoque fuit Vomitorii vis, cumque antea ex Tartari emeticuſi uſu Emefis cieri haud potuerit, radicis Ipecacuanhae pulverisatæ Drachma dimidia Tartari stibiati Grano nupta  $\text{ārō}$  &  $\text{ūrō}$  aliquoties efficit. Ita per septem septiminarum spatium modo memorata remedia adhibita fuere tanto cum successu, ut æger e lecto iterum surgere, artuum libero exercitio frui, atque excretiones antea leſas integras exercere valuerit. Superest sola cerebri imbecillitas, quam & a Corticis Peruviani exhibitione, & ab aëris verni clementia, a Thermarum Badensium denique in roborando nervoso systemate mira efficacia mox in integrum restitutum iri vere existimamus.

## S. I.

**E**ncephalum Calvaria conditum, cerebrum cerebellumque comprehendens, variis patet, iisdemque gravissimis casibus, quorum sive foris adveniunt cause, sive eas in sinu suo ipsum fovet humanum corpus. Atque eorum quidem in numerum referendæ, morborum, quas modo exposuimus, historiæ, quorum dum præcipua momenta Epicriti dilucidare suscepimus, utilē aliquanto præstiturum me operam existimo, dum novissima, quæ idonei Viri de cerebri uſu atque ſtruſtura prodiderunt cogitata, paucis in medium proferam. Sicco quidem hic transibo pede, quæ in vulgus nota sunt, cranii ſcilet integumenta, Calvariæ oſſium compositionem, duræ meningis ad eam adhærentias, quæ nullum huic permittunt motum, ſua jam natura ad ullaſ contractiones nullatenus aptæ, arachnoideam, piamque, ut vocant, matrem. Cerebrum vero ipsum dupli confatum ſubstantia, cinerea ſcilicet, quam ab ambitu, quem occupat, corticem vocant, innumeris omnium ordinum vasis picta, aliaque iterum alba, itidemque bene vaſculosa, medullæ ſub nomine, hanc omnis ſenſus motusque principium effe contendunt. Ita quidem hucusque docuerant Physiologi. Novissimæ tamen Observations ſenſum quidem omnem

omnem encephalo ex eoque fluentibus nervis adstruunt, eam autem quam in motibus habent partem, limitandam esse omnino, apertum fecerunt. Etenim cor aliaque vitalibus naturibusque motibus ministrantia organa a nervis quidem aliquatenus suam mutuantur integratatem, que ad motus requiriatur, proximam tamen functionum suarum causam a nervea virtute habent distinctam. Ipsi, qui animæ obediuntur, artusque movent, musculi, essentia sua potius, quam aliunde adveniente causa, ad contractiones apti sunt, ut omnino videatur, a nervis eam in actum cieri, ubi ex animæ voluntate suscipiendo sunt motus a). Nec indubitatam amplius experitur fidem imaginarium illud, quo ad explicandas utcunque nervorum functiones ex Mechanices legibus usi sunt Auctores, æthereum, elasticum, sive qualecumque velis, fluidum, cuius officina sit cerebri cortex, canales vero fibræ medullosoe, arteriarum venarumque adinstar per nervorum fasciculos decurrentes. Effluxit scilicet illud œvum, quo supplere licebat ex ingenio, quæ nobis celat Natura, nuncque sensuum magis operastam veritatem indagare mos est, iisque sensitivam potius demonstrant fibram, prout & irritabilem novit Medicina, quarum utraque vitali animator robore, ut essentia sua ad obeundas functiones sit apta. Quin etiam probabile fatis demonstravit Cl. METZGER b), primi nervorum paris exemplo, quod corticem & medullam habet, experimentisque suis, nullam esse medullæ præ cortice majorem dignitatem, nec in sentiendo prærogativam. Quoad sensillissimam tandem encephali partem, cuius vulnerationes citissimam afferunt mortem, eam provinciam oblongatae potius medullæ, quam cerebello aliive hujus organi parti tribuunt novissima pericula, cum vexari

B

a) Suspicio est ab Illustr. HALLERO prodita in *Prim. Lin. Phys.* §. CCCCVIII. Elegans quoque est illa Cl. ZIMMERMANN, nervos spiritibus sentire, solidorum vi innata movere. vid. Cel. TISSOT *Epist. Med. praed.* p. 327.

b) in *Diss. sua de primo Pare Nervorum*, Arg. 1766, §. 21.

omnino possint, jacturamque experiri cerebrum cerebellumque superflite eousque vita. Hæc sunt, quæ ad scopum meum maxime facientia ex animata mortuaque Anatomie revocanda mihi esse existimavi. Morbos nunc tango, qui nobilissimum organon afficere solent.

## §. II.

Quanta eheu! offert se heic malorum turba, quorum ad Medicam Scientiam pertinet pars, cum internæ eorum causæ esse soleant, maxima deinde ad Chirurgiam attinet, craniï per violentias externas lœsiones comprehendens. Omnes hi morbi illud commune habent, quod magis minusve, ocyus, serius, Encephali turbent functiones, dum sive motus ciendi facultatem ei admunt, sive ad enormes motiones excitant, sive sensum pro tempore suspendunt, sive exquisitiorem sensationem, quin quoque dolores, spasmos, convulsiones producunt, quæ omnia sine mentis vel animæ perturbationibus omnino esse nequeunt, atque sœpe celeri letho, nonnunquam leatiori locum præbent. Hoc igitur nomine tam formidabiles isti sunt mortalibus morbi, quos sub *Apoplexia*, *Phrenitidis*, *Delirii*, *Soporis*, *Mania*, *Hydrophobia*, *Epilepsie*, *Convulsionum*, *Paralyseos*, aliisque denominationibus novimus, quique quotidie nostris sub oculis hominum magnam partem trucidant. Sed capit is potissimum lœsiones mean reposunt considerationem, quas quidem tanquam symptomata concomitantur sœpe isti morbi, hoc præcipue titulo mihi memorandi. Audaciæ quidem hic accusabunt me forsan, qui exhaustam istam materiam existimabunt *HIPPOCRATIS* c), *BERENGARII* d), *ROUHALTE* e), *MORGAGNI* f), aliorum.

c) Ejus *de Capitis Vulneribus Liber extat in Opp. omn. edit. VAN DER LINDEN*. Tom. II. p. 687.

d) quem & JACOBUM DE CARPO appellant, inter Latino-Barbaros celebris *Anatomicus & Chirurgus*, *conscripti de Fractura Crani* Librum aureum, Lugd. B. 1651. impressum.

e) Ejus *Traité des Plaies de tête* inter rarissimos Libros pertinet, quem nec omni data opera obtinui. f) In nunquam satis extollende Opere *de Scolio & Caus. Morb.* Lib. IV. Epist. LI. & LII. Tom. II.

que tam veterum, quam recentiorum Illustrium Virorum laboribus, ideoque vix sibi persuasuri, aliquid novi addi posse istis juvenili calamo. Seiant tamen velim hi Censores, observationum nunquam satis esse, quibus ditetur aliqua Scientiae pars, atque nova licet praecepta frustra hic sis quæstiturus; tantam tamen meam esse in æquorum exultimotorum judicia fiduciam, ut non contemnant eas, quas publicas facio, morborum historias, nec maligne suscipiant, quæ suggererunt mihi cogitata.

## §. III.

Capitis vulnera atque ictus sive non nisi integumenta afficiunt, atque in eis subsistunt, sive & ipsam thecam osseam comprehendunt, quæ diversimode læditur, sive ipsum, quod istic conditum est, nobilissimum viscus graviter inde vexatur. Ita secundum læsas partes diversa vulnera & natura sua & symptomatibus & eventu plurimum a se invicem differunt. Quæ enim non nisi cutem cum epidermide, atque aponevroticam istam, quæ caput tegit, expansionem, tandemque periosteum penetrant, alii symptomatibus stipitate esse nequeunt, quam quæ a percussis his membranis excitari possunt, ab eis, quæ læsam animæ sedem sequuntur, valde diversa. Ipsa ossea calva, quam diversimode lædi possit, exposuit jam fuse HIPPOCRATES g), aliique Veterum & recentiorum, in quorum Libris curiose distinctas videbis omnes calvariae læsionum species, quas ex Auctòribus exscribere vetat propositum, vetat & justa, quam incurrerem merito, plagiarii nota, cum vel solus Cel. PLATNERUS h), ex quo ista omnia repeti possunt, in omnium manibus sit. Mirum certe, ab omnibus retro fere temporibus tantum tribuisse calvariae fracturis Autores, ut vel eas solas gravium, quæ frequenter in hoc læsionum genere occurrent, symptomatum causas esse crediderint, cum tamen nulla major his ossibus præ reliquis insit dignitas, nisi quod Encephalum condant, in quod demum ob viciniam (nisi illud simul læsum

B 2

g) in Libro citate, h) Inflit. Chirurg. ration. §. 527. & seq.

fit) ex corrupto osse pernicies transire potest i). Testimonio  
hic nitor BOHNII k), PETITI l), observatione SALZMANNINm),  
MANNII n), aliorumque Illustrium Virorum, ex quibus hos  
adduxisse fatis erit. Mala vero portendunt omnia membrana-  
rum, quas cerebro circumdedit natura, ipsiusque cerebri læ-  
siones, ita ut, quibus percussum Encephalon est, illis mo-  
riundum esse omnino docuerint Veteres o), eorumque qui se-  
cuti sunt Auctorum turba ad hos usque fere dies. Non desunt  
tamen exempla, an miracula appellabo? servatorum hominum  
post graves cerebri læsiones ejusque imo substantiae jacturam.  
Huc PETRI DE MARCHETTIS p), HILDANI q) exempla nota-  
tu digna; huc ipsa memorabilis certe Cl. MANNE r) observa-  
tio, quam excitavi; huc Cel. QUESNAV s) testimonia, quæ  
collegit, commendabilemque exinde fecit in ipsum hoc viscus  
incisionem, ubi pus includit; huc Cel. MORAND t), Chirur-  
gi summi, observations, aliæque, in quibus omnibus rationem  
frustra forsan quæremus. An in corticali solummodo substanci-  
ta his in casibus substituit læsio, uti Cl. MANNE u) suscipatur,

- i) Graves has noxas exponit III. VAN SWIETEN in immortalibus suis *Comment. in BOERH. Arbor.* Tom. I. §. 273. p. 445. & seq.
- k) in Libro de Renunciatione Vulnerum, Sect. II. Cap. I. p. m. 181.
- l) vid. Ejus Epist. gratul. ad calcem Opusculi Cl. MANNE, quod deinde citabimus.
- m) quam publicam fecit in egregia Differt. de mira Fractura Crani in Homine per XL. annos superflite. Arg. 1718.
- n) Observatio ista memorabilis a Cl. Auctore singulari studio exposita fuit in Libello, cui titulus est: *Observat. de Chirurgie au sujet d'une Playe à la tête. Avignon 1729.*
- o) Nemo eorum, quibus vulneratum cerebrum est, redire ad sanitatem potest: ita LOMMIUS *Observ. Med.* Lib. II.
- p) *Observat. Med. Chirurg.* Obs. 1. 2. 3. & præprimis quarta, in qua vultus ad corpus usque callosum pervenit
- q) *Observat. Et Curat. Med. Chir.* Centur. I. Obs. XIII. ubi quatuor adducit exempla. r) in citat. *Opusc.*
- s) *Mém. de l' Acad. Roy. de Chir.* Tom. I. p. 318.
- t) *Opuscules de Chir.* Tom. I. qui solus hucusque prodidit; Art. IV. p. 161. 169. 171.
- u) Libr. cit. p. 51. & p. 60. & Cl. CHICOYNEAU in Epist. gratul. ad calcem operis.

qui exinde quoque meninges potius sentire, quam cerebrum colligit? Vix credet, qui, testante jam Cl. BOHNIO x), & medullosum quoque substantiam sine vita discrimine nec sevis symptomatibus, vulnerari posse perpendit; repugnat quoque Cl. METZGER y) Experimenta, quæ superioribus cerebri hæmisphæriis sensum inesse denegant, maximum oblongatae medullæ adstruunt. An autem cerebello hic aliqua prærogativa est? Citius certe exitium vulnerato isto imminere ægris non dubitat Ill. MORGAGNI z), cuius in rebus medicis auctoritati plurimum tribuere par est; idem quoque asserit BOHNUS a), idem PLATNERUS b), præstantissimique Chirurgorum; sed observatum tamen est, vitia contraxisse cerebellum superstite vita, quibus quidem nihil, secundum Ill. MORGAGNI c) tribuendum est; at si vera tamen est Cel. PLATNERI d) observatio, de curato cerebelli vulnere; si probabile est, in quam plurimis cerebelli læsionibus oblongatam simul medullam juxta positam fuisse vulneratam; si nulla est cerebelli, ut evincit Anatome e), in ciendis motibus vitalibus provincia; conficent forte exinde nepotes nostri, non solum cerebri sed & cerebelli læsiones posse esse innocuas. Unde igitur repentinae illæ mortes, vel gravia faltem symptomata, quæ sive mox superveniunt, sive elapsè aliquo tempore ægrum corripiunt, qui caput vehementer habet percussum, eaque saepè eo sæviora, quo mitior prima fronte videbatur affectus? Non possunt certe non ista suam agnoscere originem in commotione partim vehementissima, quam patitur cerebrum, partim vero in sanguine ex vasis rumpente, iisque, quas post se trahit, seque-

B 3

x) de Renunc. Vulnerum l. c. p. m. 218. y) Diff. cit. §. 21.

z) de Sedib. &amp;c. Caus. Morb. Epist. LII. n. 26. &amp; 27.

a) Libr. cit. p. 228. b) Inflit. Chir. §. 547. c) Libr. &amp;c loc. cit.

d) Libr. &amp;c loc. cit. in nota. Cæterum Vulnera Cerebelli canibus inficta non continuo mortem intulisse, testatur Ill HALLERUS Opusc. Patol. Obs. I. ubi de Scirrho Cerebelli historiam tradit.

e) vid. Ill. HALLER, Prim. Lin. Phys. §. CCCLXXI.

Es; ita enim sentiunt Cel. PETIT *f*), Cl. MANNE *g*), Cel. LE DRAN *h*), nec Ill. MORGAGNI *i*) silere hic decet; horum igitur Virorum sententiam, quum verissimam demonstrent collatae inter se observations, hisque binis quoque adscrienda sint, quæ ægroti nostri passi sunt mala, pertractare hæc jubet materia ratio, atque a cerebri commotione ordiar.

## §. IV.

Commoti cerebri signa atque pericula ipsis jam Proavis nostris erant notissima. "Quibus cerebrum concussum fuerit „ex aliqua causa, eos statim voce privari necesse est", inquit divus HIPPOCRATES *k*); alioque loco *l*): "Quibus concussum „est cerebrum, doluitque percussis aut lapsis: continuo voce „capti non vident, nec audiunt, ac fere moriuntur". Nitide, ut folet, hujus calamitatis symptomata LOMMIUS *m*) descripsit: "Ipso autem (ita loquitur,) percusso cerebro, (quod „facilius plena incidit luna,) hæc, quæ proposuimus *n*), graviora sunt omnia, oriturque ingerens delirium tertio vel quintoo die". Qui de capitis lesionibus memoratu digna reliquit JACOBUS A CARPO *o*), non intermisit, de commoti cerebri signis singulari dicere Capite, quo Veterum Græcorum & Arabum exposuit sententiam, dum ruptis nervis aut venis adscribit commotionis symptomata. Qui inter recentiores pro dignitate dirum hoc exposuerunt valetudinis genus, ex eis Cl. BOHNII *p*), Cel. LE DRAN *q*), Ill. MORGAGNI *r*), Ill.

*f*) *l.c.* & apud Cel. QUESNAY Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. I. p. 198. & seq. *g*) in Libr. cit. *h*) Observations de Chirurgie

Tom. I. p. 109. & seq. *i*) Libr. cit. Epist. LI. n. 10.

*k*) Aphorism. L. VII. n. 58. Addit hic HEURNIUS, se novisse quosdam, qui lapsi in occiput tota vita gustu & odoratu caruerunt.

*l*) de Morbis Lib. I. Cap. 3. Opp. omn. Edit. VAN DER LINDE Tom. II. p. 4. *m*) Observ. Medicin. *l.c.*

*n*) Ea scilicet, quæ vulneratas cerebri membranas sequuntur; sanguis per narcs & aures, vomitus bilis, trux vultus, stupor, nervorum distentio: hæc enim paulo ante commemoraverat. *l.c.*

*o*) de Fractura Crani Cap. V. p. 32. & seq.

*p*) Libr. cit. p. 232. & seq. *q*) Obs. de Chir. *l.c.* *r*) loc. cit.

VAN SWIETEN <sup>s)</sup> apposuisse hic suffecerit. Quid igitur est cerebri commotio? quid accedit nobilissimo visceri, ubi hoc experitur infortunium? Alium certe hic facile admittes effatum in vasa, quibus encephalum repletur, aliud in ipsam cerebri substantiam; illum quidem qualis sit, intelliges facile, eritque deinde de eo dicendi opportunitas. Sed quid ipsa patitur cerebri fibra, de eo nunc simus solliciti. An tremula, in mota calva, vibratio, ipsi visceri motum, suo velociorem imprimit, ut cerebrum quatatur, subfultet tremorifice, idque eo plus minusve, quo fortior aut debilior percussio, quo manus vel minus spatium inter cranium & viscus relinquitur? Ita enim rem exponit Cl. BOHNUS <sup>t)</sup>, atque assentire videtur Cel. LEDRAN <sup>u)</sup>, ut motus hujus effectus sit, quod fibræ cerebri medullares, tanquam nervorum primæ propagines seu radices, ab ejusmodi vibratione comprimantur, subsideant, contorqueantur, lacerentur, laxentur, aut quoconque alio modo vitientur. An favet huic motui minor cerebri libertas, cranii totam caveam non replentis? An aliquid hoc confert Luna sive plena, sive nova, ut senserunt inter Veteres DURETUS <sup>x)</sup> atque LOMMIUS <sup>y)</sup>, aliqui; inter recentiores Cel. MEAD <sup>z)</sup>? Non quidem negabo Viris fide dignissimis observatam saepe post mortem cerebri minorem molem, ut cranium non impleret, sed cum Cel. LITTRIO <sup>a)</sup>, eum potius effectum morbi crediderim, quam ejus causam: Luna vero in corpus humanum imperium in medio relinquio. An revera secundum BERENGARIUM <sup>b)</sup> rumpuntur nervi in cerebri commotione? vix assūmi poterit, cum curationem admittere non posset affectus, si haec ejus causa fuerit. Nec ruptis venis subita ea ad-

<sup>s)</sup> Comment. in BOERH. Aphor. Tom. I. §. 274. p. 448. & sq.

<sup>t)</sup> Libr. cit. p. 235. <sup>u)</sup> Obs. de Chir. l.c.

<sup>x)</sup> Interpr. ad HIPPOCR. Lib. II. T. II. C. 2. <sup>y)</sup> Obs. Med. l.c.

<sup>z)</sup> Probare scilicet annititur Cl. MEAD, effervescente sanguinem, ad-eoque turgere vasa, ubi plena est Luna; de imperio Solis ac Luna in C. H. passim.

<sup>a)</sup> Hist. de l' Acad. Roy. des Sc. Ann. 1705. Hist. p. 68. & 69.

<sup>b)</sup> Libr. cit. C. §. p. 33.

scribas symptomata s<sup>e</sup>pe ita dira, ut hominem mox trucident c). An spirituum officina turbatur, dum quatitur cerebrum ita, ut fluidi nervei in fistulas influxus interruptus sit. Placebit quidem satis h<sup>e</sup>c hypothesis spirituum fautoribus: cum tamen non omnem haec tenus de eorum existentia dubitationem nobis ademerint, & hanc quoque sententiam vix admittendam esse crediderim. An potius in eo motu cerebri moles oblongatam medullam, cui exquisitissimus inest sensus, ita comprimit, vexat, afficit, ut vel subita mors, vel seva saltē orientur accidentia? Probabile quidam faciunt Cl. METZGER d), quæ supra citavi pericula, cum tamen circa ipsam cerebri naturam obscuræ sint, quas possideamus, notiones, lucem expectandam potius hic esse censeo, quam nubem amplecti pro Junone. Supereft unum quod prenat hic dubium; diversitas scilicet symptomatum in eis, qui caput percussum habent; cum statim afficiantur hi, serius isti, iteratis vicibus alii, sint tandem graviter vulnerati, qui ne mentem quidem habeant captam, ut erat Cl. MANNE e) ægrotus. "Adeo in Medicina etiam, ubi perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id, quod consequi convenit" f). Cum enim nullo in casu cerebri commotio non supponenda sit, mirum videri potest, tantam esse in eis, quæ affectum caput comitantur phænomenis, varietatem. Respondet ingeniose Ill. MORGAGNI g), huc conferre altum quidem, nec tamen altissimum locum, ex quo cadat æger, excipi ictum ab exteriore quæ comminui possit lamina, sive a totius cranii effractura, ipsum cerebrum contusionis effectibus magis minusve favere, sanguifera vasa non eandem in omni subjecto opponere rupturæ vim: Et satis hic placent, quæ docet Cel. LEDRAN h), diversas scilicet esse causas

- c) Ut egregie probat Ill. MORGAGNI l.c. d) Diff. cit. §. 21.  
 e) Qui cum uxore rem habuit saepius, laboribus vacavit, duro cibo ulcus est, uno verbo tanquam sanissimum se geshit, nec ullo vel levissimo symptomate correptus est. l.c.  
 f) Ut eleganter dicit CELSUS de Med. Lib. VII. Cap. XII. §. 4.  
 g) Libr. 8 loc. cit. n. 10.

pitis lesiones, dum sive caput impingit loco duro, sive durum impingit capiti corpus; quamvis enim utroque in casu commotio cerebri possit contingere, gravior certe erit cæteris paribus, priori in casu, minor in posteriori, minima tandem, ubi ipsa vi percussione ita frangitur cranium, ut vix ultra propagari possit ejus effectus, nec ita commotionem ciere. Nihil ab his diversa habet Cl. MANNE i).

## S. V.

Alius concusso cerebri effectus, itidemque symptomatum, quæ capite percussis accidunt, fons est vasorum debilitatio, inde Anastomosis, ruptura atque humorum effusio. "Omnes rami Carotidis, inquit Ill. HALLERUS k), qui cranio continentur, tenui, solida, fragili magis, quam reliquæ arteriæ substantia sunt", ut inde Ill. quoque BOERHAAVIO l) musculosam suam deposuisse viderentur. Pergunt tamen ex, sanguinem a truncis acceptum per tenerrimum viscus movere, venis mandare, perque sinus jugularibus tradere. Sed ubi valida vi quatitur cerebrum, quassari & vasa neceſſe est, inde debilitati eorum contractilem vim, ut quasi mortua jaceant, a sanguine, quem promovere nunc nequeunt, repleta, sive ex-eant ex eorum patulis orificiis anastomosi dilatatis, sive ruptis quoque eorum parietibus, humores, qui dum stagnant, pernicieſ ſubeunt ſibi propriam, quæ & cerebrum tandem afficit, mortemque miseris infert. Et hæc quoque calamitas cum tristibus suis ſequelis non effugerat. Vetus in obſervando diligentiam. "Pulchra virgo, Nerei filia, (ita narrat diuſus Hippocrates m), annorum viginti, ab amica muliercula ludente late manu synciput percussa eſt, ac tunc tenebricofa vertigine prehensa eſt, nec respirabat; cumque domum perveniret, illam statim febris prehendit, & caput doluit, & rubor

C

b) Libr. 8<sup>o</sup> loc. cit. i) qui de hac re in toto ſuo Opuſculo diſputat. k) Prim. Lin. Phys. §. CCCXVII.

l) vid. Ejus Institut. Med. §. 231.

m) Hanc Historiam refert in Epidem. Lib. II. Textu 32.

erat circa faciem. Septima die ad aurem dextram pus prodiit  
 graveolens, subruberum, cyatho amplius, & videbatur me-  
 lius se habere, & levata est &c. & nona die perii". Audia-  
 mus & CELSUM n), qui nitide rem explicat, dum "Aliquando  
 evenit, inquit, ut os quidem totum integrum maneat, in-  
 tus vero ex ictu aliqua vena in cerebri membrana rupta aliquid  
 sanguinis mittat, isque ibi concretus magnos dolores moveat,  
 oculosque obcoecet". Docte quidem, sed rudi sermone ita  
 de hac re dicit BERENGARIUS o): "Adverte lector, quod ac-  
 cidentia prænarrata in hæsione panniculorum & cerebri possunt  
 fieri a sanguine putrefacto sub cranio secundum loca, ad quæ  
 vadit, & secundum quantitatem — — Et hoc ego vidi in  
 actu pratico anatomicando capita mortuorum a simili casu".  
 Alioque loco se "magnificum Dominum Herculem de Mar-  
 schotis a rupta cerebri venula mortuum" vidisse asserit. Et  
 ipsius carotidis majores quandoque rumpi ramos memorabilium  
 Observationum tria probavit Cel. BOHNUS p). Diu autem  
 saepe silere existentiam suam dirum valetudinis genus, & Cel.  
 QUESNAY q) observationes apertum faciunt & vel ex sola illa,  
 quam Cel. MORAND r) debemus, cognoscas; cum non prius  
 letho correptus sit miser capite percussus, usque dum post no-  
 vem menses elapsos totum absumferit suppuratio dextrum ce-  
 rebri lobum. Ita subito magna effusa sanguinis copia ictu perit  
 æger, eo mortis genere, quod Apoplexiam appellant; ubi au-  
 tem sensim sensimque exit in viscus humor, atque pressio pau-  
 latim augetur, oritur ex quietcente latice pus, quod cerebri  
 absumit substantiam, tandem illud pondere suo paralyxin, acri-  
 monia sua nervorum distensiones excitat, sicque hominem tri-  
 cidaat. Igitur, quæ hactenus exposui, apertam faciunt aliquatenus  
 miram in symptomatum sævitie, duratione, regresu,  
 invasionis tempore diversitatem, quæ sollicitos ab omni tem-

n) de Medicina Lib. VIII. C. 4. o) Lib. cit. p. 7. & 34.

p) Libr. cit. p. 233. & seq. q) Mem. de l' Acad. de Chirurg. T. I.

Remarques sur les plaies du Cerveau p. 310. & seq.

r) Opusc. de Chir. l. c. p. 159.

pore merito tenebat Medentes, cuius tamen rationem ab omni parte dilucidari vix posse omnino persuasum habeo.

## §. VI.

Multorum igitur seculorum atque quotidiana experientia confectum est, "fere incomprehensibilis natura capitis vulnera esse s), atque adeo difficillimum ex symptomatibus, quæ nullo in morbo minus quam hic perpetua sunt, judicium. Plurima, sed promiscue commemoraverant Veteres calamitatis hujus signa; quorum quidem partem ex HIPPOCRATE, LOMMIO, BERENGARIO excerpta proposuimus §. 4. Aphoniam scilicet, abolitum visum atque auditum, delirium: sed non omnia hisce sunt comprehensa. Addit Venerandus Artis Parrens biliosum vomitum t), mirabile symptoma, quod intimum, cerebrum inter atque ventriculum consensum esse, demonstrat, ut in eo quoque nervorum centrum nonnulli posuerint u); alio itidem loco soporem commemorat, tenebras ante oculos, atque vertiginem x). Iterum deinde stuporem atque delirium y). Sanguinem per os, nares atque aures effluentem observavit quoque Medicinae Stator z); nec non febrem atque horripilationem a); & præcipua tandem sunt inter omnia affecti Encephali symptomata Paralysis atque nervorum distensio b), huc quidem irritatis, ita compressis nervorum

C 2

s) ut eleganter Cel. PLATNERUS Lib. cit. §. 513.

€) Aphor. Lib. VI. n. 50. & omnes, qui cerebrum percussum habent de oris amarore conqueri, habet SCULTETUS Armam, Chirurg. P. II. Obs. 5. p. m. 10.

z) Cl. MARTEAU Journ. de Med. Tom. XIII. mens. Aug. & Cl. GODART ibid. mens. Nov.

x) in Libr. de Capitis Vulneribus Cap. XV. Opp. omn. Edit. cit. T. II. p. 696. y) Aphor. Lib. VII. n. XIV. z) Aph. Lib. VI. n. X.

a) in Coac. Prænot. n. 500.

b) in Libr. de Capitis Vulnerib. Cap. XXVI. Edit. cit. Tom. II. p. 705. ubi ita: siquidem in sinistra capitis parte ulcus habeat, in dextra corporis parte convulsio corripit; si vero in dextra capitis parte ulcus habeat, in sinistra corporis parte convulsio corripit.

originibus suum sine omni dubio ortum debentes. Evidem, ut immisceam me hic isti, quæ ab HIPPOCRATE ad nostra usque tempora movetur liti, de nervorum decussatione, quæ sive convulsionem, sive paralysin in opposito lesionis latere excitat, nihil video, quod me moneat, idque eo minus, cum nec Summorum Virorum Ill. MORGAGNI c), Ill. VAN SWIETEN d) atque Ill. DE HAEN e) doctissimis inquisitionibus effectum sit, ut certi hic aliquid statui possit. Mihi quidem si sententiam meam indicare hic licet, ex ipso Auctorum dissentire dubitari posse videtur, an ulla insit phænomeno veritas, nisi Naturam agnoscas omnia molientem, motusque quos possit ordinatos quoque carent, cum vita hostis immineat; cumque Veterum doctrinæ nimium semper tributum fuerit, explicare maluerunt Auctores, quæ viderant utcunque, quam exacte videre, quæ alii explicuerant e). Sed filum repetamus sermonis nostri: Scilicet quæ HIPPOCRATES diversis in locis proposuerat, ea in unum collegit CELSUS f), illaque comitissimo suo dicendi genere ita enunciat: "Protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcoecati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit, num conciderit, num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt g). Atque ubi conciderunt, scire licet, difficilem curationem esse. Si vero etiam torpor acceperit, si mens non constat, si nervorum vel resolutio vel distensio secuta est, verosimile est, etiam cerebri membranam esse violatam, eoque in angusto magis spes est; at si nihil horum secutum est, potest etiam dubitari, an

c) de Sedib. & Caus. Morb. Epist. LI, n. 46. & sq.

d) Comment. in BOERH. §. 276. n. 5. p. 455. sq.

e) Rat. Medendi-P. IV. Cap. V. §. IV. p. 195.

f) Hanc in observando erroneam mentis præoccupationem merito carpit Ill. ALBINUS Annot. Acad. paßim.

f) de Medicina Lib. VIII. Cap. IV.

g) Probant hæc verba illud, quod supra diximus; quod scilicet calor variae fractæ ita symptomata tribuerint Veteres, quæ commotiones potius atque humorum effusioni suam originem debent.

“os fractum sit”. Et hæc sere apud reliquos Veterum, apud recentiores quoque repertis, inter quos ILL. VAN SWIETEN <sup>b)</sup> præ reliquis commendandus; hæc in omnibus de capitis læsione historiis leges, hæc sive confessim, sive serius, sive omnia, sive saltem eorum pars omni cerebri commotioni, atque vasorum rupturæ evenire necesse est. Oportet tamen, ut inquiramus, quæ commotioni potius, quæ effusione, quæ utrique sint tribuenda, cum aliquid hæc cognitio ad curam conferre videatur.

## §. VII.

Si capitinis læsionum, quæ extant, fide dignissimas historias attento animo perpendere velis, intricatissimum hic certe intrabis labyrinthum: Videamus tamen, quousque ratiociniis attingere licebit, ut rei veritatem assequamur. Durum, quod capiti impingit, corpus, sive ea adigitur vi, ut calvariam frangat, sive saltem aliquem ei imprimat effectum, qui cerebro transmittitur, eamque diximus esse hujus visceris commotionem: Ni enim alterutrum fiat, innoxius erit ictus. Cave tamen, existimes, nullam esse commotionem, ubi frangitur os, quin potius ea sola de causa periculum alere calvæ fracturas supra præcepit; id autem statui posse videtur, perire eo majorem de ictus potentia partem, quo minus resistunt calvariae ossa, atque fracturam admittant; dari quoque, ubi ita absorbetur impingentis corporis vis, ut nulla superfit ad ciendam commotionem; id enim apertum facit Cl. MANNE rara obseratio. Ubi igitur commotio excitata est, eo vehementius confessim ægrum corripiunt symptomata, quæ supra commoravi, quo vehementior fuerit ista; eo lenius, quo debilior erat; quin quoque tantam vim habuisse legitimus, ut subita inde secuta sit mors <sup>i)</sup>. Igitur capite percussi plures, sensu motuque deficiuntur, tanquam inanimes prostermuntur; plures

C 3

<sup>a)</sup> in Libr. 2<sup>o</sup> l. c. §. 275.

<sup>b)</sup> In illo Cel. LITTRE exemplo, quod §. 4. not. a. adductum est; aliud addit. ILL. MORGAGNI Libr. cit. T. I. Epist. VIII. n. 15. ita.

post levem vertiginem sive lipothymiam resurgunt, sibique  
conscii ad consuetos redeunt labores; sunt qui nullo affligun-  
tur symptomate, atque libere pergunt obire munera sua. Hæc  
autem levatio suspecta est atque periculi plena: Quamvis enim  
levior fuerit concussionis effectus in ipsam cerebri fibram, gra-  
viorem tamen noxam inde passa erunt vasa, quæ sive erupta,  
sive anastomosi dilatata dimittunt sanguinem, qui effusus in-  
ter cerebri medullam, premit, contracta acrimonia rodit, ea-  
demque symptomata sive evanida revocat, sive initio absentia  
demum excitat; itaque ut ingeniose docuit Cel. PETIT *k*),  
Vir egregius, quem præpostera morte correptum luget Chirur-  
gica res. Primaria symptomata commotioni, sequentia vero  
humorum effusioni tribuenda sunt. Quanquam autem in uni-  
versum hæc ita accipi possint, est tamen, ubi exceptionem  
patiuntur, dum scilicet nondum evanidis commotionis sym-  
ptomatis effusio quoque suas incipit ludere tragœdias. Ita  
in notatu digna Cl. BOUDOU *l*) observatione dissipatis aliqua  
ex parte, nondum autem ex toto lipothymia atque lethargo,  
redeunt symptomata semel, redeunt his, nihiloque minus re-  
stituitur æger. Et in memorabili casu, quem recenset Cl.  
MANNE *m*) de filio natu minori *Marchionis a Modena*, &  
commotio & sanguinis extra sua vasa eruptio uno eodemque  
momento videntur contigisse, cum omnibus licet adhibitis au-  
xiliis quarto demum die ad se cœperit redire. Sic confundunt  
se saepius utriusque infortunii effectus, ut nullam in Medicina  
universam esse regulam intelligamus, atque vere hic difficile  
esse judicium appareat, quod de omni Medicinæ ambitu HIP-  
POCRATES dixit *n*).

## §. VIII.

Inter tantam tamen symptomatum, quæ capite percussos  
corripiunt, feriem, quam recensuerunt ex antiquis HIPPO-  
demque Cl. HÆVEL *Commenc. Literar. Nor. Ann. 1741. Hebd. 14.*  
*in fin.*

*k) Apud Cel. QUESNAY & Cl. MANNE locis citatis.*

*l) vid. Cel. QUESNAY Mem. de Chir. T. I. p. 199. Obs. VIII.*

*m) in Opusc. tit. p. 205. & seqq. n) Aphor. Lib. I. n. 1.*

**C**RATES, ex recentioribus Ill. VAN SWIETEN, nullam video mentionem de<sup>o</sup> alvi lotiique incontinentia, quam in ægrotis nostris observatam esse, morborum, quos tradidimus, historiæ docent; nec in reliquis fere, quas jam allegavi, capitis læsionum expositionibus de eo symptomate locutos esse Auctores memini, nisi Ill. MORGAGNI o) excipias. An quod re vera non adfuerit? an potius, quod memoratu dignum non existimaverint Viri Clarissimi? judicare quidem non ausim, sed mihi faltem fateor videri illud aliqua adnotatione dignum. Scilicet, vesicæ anique orificia fano in homine circulari fibra rum muscularium strato clauduntur, sphincteres appellantur, quorum virtute in receptaculis suis retinetur excernenda materia, eousque, dum pondere suo, atque irritatione molestiam creet; ita servatur necessaria hominius ad majora nati mundities, eique conceduntur temporum intervalla, quibus sua subire possit officia, donec excernendi urinam vel alvum redeat necessitas; tunc autem inspiratione facta voluntatis nixu recluditur sive ani sive vesicæ orificium, & vi diaphragmatis muscularumque abdominalium promovetur, exitque scybalon vel lotium. Qua igitur vi resolvuntur hi musculi, ut retainendam materiam elabi patientur? An eadem de causa, qua nervi percutiuntur, premuntur, ut functionibus suis impares fiant, quaque refolvitur totum motuum animalium systema? Satis fane probable id videtur. Animæ voluntati quoque ani & vesicæ sphincteres omnino sunt subjecti p). Pergunt enim agere omnia ea organa, quæ extra animæ imperium constituta sunt: continuo se contrahunt cordis auriculae ventriculique, nec non arteriæ, hanc otiantur pulmones, nec feriantur viscera, quæ chylum parant; hæ enim singulæ partes inter se conspirantes virtute incitantur sibi innata, quæ, licet a nervis fere nihil mutuari videatur, illis tamein ad motus integratatem opus habet omnino. Quid autem de sphincterum relaxatione statuendum, paucis dicam. Nervi scilicet sphincteribus his in-

o) Libr. cit. Epist. LII. n. 24. p) vid. Cel. HOFFMANN Doctrina de Differentia Mechanismi & Organismi, Op. posth. p. 79.

servientes maxime ex ultimis nervis spinalis medullæ, per  
 offiſi facti foramina exeuntibus, originem ducunt; unde ipsius  
 spinalis medullæ originem jam in cerebro lœdi, patet. No-  
 stris igitur in casibus, ubi, vehementer commoto cerebro,  
 perturbatus est omnium functionum tenor, sphincterum quo-  
 que vis nervea ita prostrata fuit, ut, sustinendo impetu septi  
 transversi atque muscularum abdominis impares facti, excre-  
 mentitiae materie exitum inviti permetterent. Huc Cl. ACO-  
 LUTHI q) observata sphincterum ani & vesicæ, artuum inferiorum Paralyſis, ex cerebri concuſſione orta. Aliud & ibi-  
 dem proſtat r) cerebri violentæ lacerationis non lethalis ex-  
 emplum, quo plena lateris dextri immobilitas cum involunta-  
 ria fæcum alvinarum excretione obſervabatur. "Tegulator,  
 ſic Cl. TISSOT refert, "ex caſu cuius vim præcipuam ſuſtinu-  
 runt renes, protinus in paralyſin vesicæ, femorum & crurum  
 incidebat, ſine tamen fractura aut luxatione vertebrarum  
 s)". Memorabilem quoque artuum inferiorum sphincterum  
 que Paralyſin a terrore ortam Cel. HOFFMANN t) recenſet.  
 Si quis plura de sphincterum resolutione, violatam vertebrarum  
 spinam inſequente, legere cupit, HILDANUM, MAU-  
 CHARTUM aliosque adeat Observatores. Sed heic quis rege-  
 rere poſſet: Unde autem potius alvi lotiique primis morbi  
 diebus retentio, ex commotionum, compressionum, quæ spi-  
 nalem medullam percutiunt, exemplo u), aliisve, ut nec arte  
 fæces elici potuiffent, usque dum inflammatio, gangræna at-  
 que sphacelus intestina, vesicam aliasque partes prehenderit?  
 Nervos ad motuum integratatem viſcerum vitalium ac natura-  
 lium requiri, ſupra præcepi. Læſa itaque quoconque modo  
 actione nervorum libera, lœdetur quoque necessaria viſcera

integritate

q) In Epib. N. C. Dec. II. Ann. IX. Obsl. 160. p. 297.

r) Libr. cit. Cent. X. Obsl. II. p. 248. quod Cl. DAN. HOFFMANN exhibet.

s) Epift. Med. præct. p. 344.

t) Med. Rat. Syst. T. IV. P. IV. p. 27.

u) vid. Morbi Historiam in Cl. CUENOTTE Diff. de Subluxatione Ver-  
tebra Doyſ. &c. Argent. 1761.

integritas. Quomodo autem nunc vesica, intestina, nervis orbata, torpida ac inermia quasi, excrementitiam materiam prope-  
lent, extrudent? Hujus certe symptomatis causam rursus  
aliam paralyсин fuisse, illamque in vesica & intestinis ipsis quæ-  
rendam esse, cum Auctore afferere nullus dubito x).

## §. IX.

Nullum ergo vulnerum esse genus, in quo signa futurae  
salutis atque mortis adeo incerta sint, ac in iis, quæ caput  
male habent, merito dixit Cel. PLATNERUS y), quod idem de  
commotione cerebri, humorumque in illud effusione potissi-  
mum esse intelligendum, colligitur facile ex iis, quæ hucusque  
expofui. Et ut de commotione, ejusque in ipsam cerebri fi-  
bram effectibus iterum ordiar, ea quidem saepe cito evanescit,  
ut "seuenti die omnino liberatos viderit PETRUS DE MAR-  
CHETTIS z"; ast infaufa quoque quævis ipsamque mortem  
subitam ab ea calamitate esse metuendam fidæ docent observa-  
tiones. Dubitabis hic forsitan, & id jure quidem, numne his  
in casibus majore aliqua quantitate simul effusus humor sit ad-  
mittendus? Nec negabit quis facile, cum vehementior cere-  
bri commotio humorum quoque effusionem comitem habere  
possit: Sed docent tamen memorabiles illæ Cel. LITTRE a) at-  
que Ill. MORGAGNI obſervationes, fecutam esse ex validissima  
capitis in parietes allifione subitissimam mortem, cum tamen  
lustrata capita nil aliud exhiberent, quam Encephali subsiden-  
tiā. Ubi tamen evitatum est istud infortunium, omniaque  
illa dira symptomata, quæ ordine recitavimus, superata fue-  
re, remanet tamen aliqua nobilissimi organi imbecillitas, ut  
ad subeunda sua munia non omnino apta sit, quandoque per-  
manens, ut in Cel. MORAND b) obſervatione, interdum au-

D

x) *Diff. cit.* §. XII. sq. y) *Libr. cit.* §. 513.

z) *Obſervat. Med. Chir. Syll. Obs. 15.* p. 25.

a) Utramque, additamque hujus generis tertiam, vid. loco supra §. 7.  
not. i. citato. b) *Opuscules de Chir.* p. 170. De gustus atque

tem felici sidere quoque profliganda. Huc vertigo, qui nunquam non per temporis aliquod spatium ægrotis remanet, quando hocce dirum valetudinis genus passi sunt: Huc ingenis atque corporis debilitas, necessaria quoque ejus calamitatis sequela: Huc memorie aliqua abolitio, ut in integrum quoque restitutus alias ægrotus, eam habeat debilitatem c). Multis vero diebus saepe perdurare commotionis symptomata, vix est quod hic recenseam, cum facile sit, ex ipsa ictuum vehementia colligere, fortiorum commotionem pertinacius persistere, leviorum facilius fugari, eoque majorem minoremve spem fore, ut in totum evanescant dirissimi mali sequelæ. Huc tandem quoque permanentes illi, nec ulli fere medicamento cedentes capitis dolores, quorum Cel. QUESNAY d) mentionem fecit, clavos rite dixeris, aliquando calvæ perforatione curatos, saepe quoque immedicabiles.

## §. X.

Effusi intra cranium humores aliquod admittunt discrimen, idque ab extravasati humoris genere, ab ejus copia, a loco, in quem confluit, atque a celeritate, qua effluxit, repetendum est, cum non una eademque sit spes futuræ salutis sive mortis metus in singulis casibus. Scilicet, quicquid effusum est, oportet sive ut in vasa redeat, sive terebrationis cranii

odoratus abolitione plenaria testatur HEURNIUS *Comment. in Apb.* L. VII. n. §8. Post valide allisum caput, restituto homini remansit dextri oculi amaurosis, canescere coeperunt ejus lateris capilli, supercilia, ciliaque, atque hinc inde exciderunt. Hanc historiam refert Cl. RAVATON *Chirurg. d'Arnié* Chap. I. Sect. II. Obf. V.

• Pulchram morbi historiam TULPIUS narrat *Obser. Medic.* Lib. IV. Cap. 14. Occiput ille ad glaciem offenderat, atque mox omnium, quin quoque nominis sui immemor, restitutus quidem est ita, ut longe præteriorum recordaretur, sed lapsus sui nullam unquam habuit notitiam. Simile prostat exemplum in E. N. C. Cent. X. Obf. II. p. 249.

• vid. Cel. QUESNAY *Mem. de l'Acad. de Chir.* Tom. I. p. 225. sq. Similiter habet SAVIARDUS, celebris olim in Arte Magister, in *Nouveau Recueil d'Obser. Chirurgic.* Obf. I.

ope evacuetur, ne comprimendo, rodendo, consumendo  
perget dira cire symptomata, mortemque ipsam afferat. Ubi  
igitur concussionis vi tenues modo seroisque exiere humores,  
expeditius resorberi istos, quam ipsum sanguinem rubrum fa-  
cile ex venarum bibularum natura atque diametro concludes,  
cum crasso sanguinis globulo vix in eis transitus detur, serum  
vero expedite in eis fluat. Quid autem de sanguinis resorptio-  
ne cogitandum sit, deinceps dicendi locus erit. Effusi humo-  
ris copiam si spectas, vix est quod moneam, in præcipiti esse  
xerum, ubi major ea est, quam quæ a bibulis venis absumi  
possit, quin stagnatione corrumpatur, eamque perniciem in-  
ducat, quam acrimonia rodens in cerebro non potest non  
afferre. Et quis non perspicit, minus esse periculum humoris  
inter cerebrum ejusque involucra stagnantis, quam qui in ven-  
triculos medianve cerebri substantiam coiverit; quamvis enim  
utroque in casu resorptio locum invenire possit; ubi tamen  
haec non ex voto absolvitur, priori casui in terebratione medela  
est, posteriori remedium frustra queretur. Atque tandem di-  
scrimen est ex celeritate repetendum, qua sanguis exit ex rupta  
sive dilatata arteria. Etenim eandem copiam, quam facile fert  
nobile viscus, ubi paulatim effluit, ut pressioni quasi assuefiat,  
hanc ferre recusat, lethalerque inde afficitur, ubi celeriter  
exit ex suis cancellis, pressionemque iuxto vehementiorem con-  
fessim efficit e). In singulis autem hisce casibus communis ille  
metus est, ne remarieat intra calvariam stagnans liquidum, di-  
ramque provocet nobilissimi visceris inflammationem, cui sup-  
puratio sive necrosis pedissequa est, si sanguis sit, qui stagnet.  
Ex Seri vero effusione hydrocephalum, atque funestam mor-  
tem oriri viderunt Clarissimi Viri f). Cave igitur credas, ita  
desperatas esse miserorum res, qui hoc mali genus passi sunt,

D 2

- e) Omnibus Observatis medicis constat, unciam fere sanguinis subito  
in cerebrum effusam homini immedicablem inferre mortem, cum  
non semel totum cerebri hemisphaerium suppuratione consumatur  
antea, quam homini moriendum sit. Idem docet hydrocephalus.  
f) vid. Cel. BOHN de Renunc. Vult. p. 248.

ut sola iis maneat mors. Plures certe memoriae proditae sunt fidæ observationes, quibus constat, rediisse in vitam, quibus effusi erant in calvariam humores, sive medicaminum virtute, quæ resorptioni favent, sive peracta terebratione; quin quoque cerebri pars suppurata & ablata non semper mortis causa fuit <sup>g)</sup>, ut inde quoque colligeret Cel. QUESNAY <sup>h)</sup>, cerebri abscessus sine periculo posse incidi scalpelio. Mirandum denique illud etiam Naturæ artificium in his casibus observatum est, quo, dum morbum quandoque solvit, materiam simul ejus causam ex viscere in viscus transfert, *Metastasis* vocant Artis Periti. Disputandi quidem hic iterum mihi occasio esset, an verum sit, quod ab Auctoribus traditum est, in hepar præprimis transferri ex capite labem? Cui phœnomeno ex mechanicis legib[us] explicando ingenii sui vires intendit Cel. BERTRANDI <sup>i)</sup>, cum tamen dudum jam Ill. MORGAGNI <sup>k)</sup> exemplis probaverit in alia æque viscera deferri ex capite morbi formatum, ut & renes, & pulmones <sup>l)</sup>, & lien aliasque partes inde affectas esse observatum sit: hanc tamen item, cum a me tractatione aliena sit, meani non faciam; nec cum PETRO DE MARCHETTIS <sup>m)</sup> inter funesta in capitibus lœsionibus signa alvi fluxum referam, cum & Ill. MORGAGNI <sup>n)</sup> & nostris observationibus apertum fiat, innoxium esse symptoma.

## §. XI.

Sic igitur ad ea devolvor, quæ Medenti incumbunt, ut diro valetudinis generi medelam faciat. Duplicem hic scopum præfixum sibi habeat oportet; restituendam scilicet in in-

g) Idem & HILDANUS jam exemplis probavit Cent. I. Obs. 13. recentiora colligere ad me non attinet. h) *Libr. Sap. cit. T. I. p. 318.*

i) *Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 484. sqq. & Operat. de Chir. p. 286. & sqq.* k) *de Sedib. & Caus. Morb. Ep. LI. n. 21. sq.*

l) *Memorabile & Metastaseos in pulmones & contrafistula exemplum est, quod publici juris fecit Cl. OBERMAYR Diss. de Vomica Pulmonis &c. Heidelb. 1759. Observatio ex militum Valetudinario Argentoratensi deponita est.* m) *Obs. Med. Chir. Obs. 15. p. 26.*

n) *Libr. cit. Epist. LI. n. 21.*

tegrum turbatam nervorum compagem; deinde vero removen-  
dum, quicquid humoris intra calvariam effusum esse posset.  
Quamcunque enim denum mutationem ex concussione paſſum  
ſit encephalon & qui ex eo fluunt nervi, id faltem ex omni-  
bus colligere datur ſympotmatibus, ita frangi eorum virtutem,  
ut deficit anima, regendo corpori fiat impar; ita tandem eos  
debilitari, ut omnibus suis functionibus ſint inepti, quo tem-  
pore ſimul attonita jacet atque proſternitur Naturæ avtocrateia.  
Ex eo imbecillitatis ſtatū ut reſtituantur nerveæ fibræ, vix opus  
eſt arte, nec ei locum hic eſſe, exiſtimo. Sola quippe corporis  
quies debilitatos per commotionis præpoſteros motus, nervos  
reſtituere potest ſoletque, ut tandem elapsis aliquot horis ſive  
diebus, hæc enim ſecundum commotionis vehementiam va-  
riant, ad ſe redeat mens, expurgat Natura, inque ſui falu-  
tem nunc agere poſſit; quaenam enim de cætero hiſ ægrotis exhi-  
bentur medicamenta, reſorptio fluidorum potius favent,  
quam fugandis commotionis ſympotmatibus, deque iis dicendi  
erit deinde opportunitas. Ubi autem hæc omnia evanuerunt,  
ac ſupereret ægrotuſ illa cerebri imbecillitas, ut vertigine, inge-  
ni debilitate aliisve hujus generis ſympotmatibus vexetur,  
medicamentis tunc opus eſt, quaenam *Nervina* dicuntur, atque  
inter hæc ea potiſſimum eligenda fuſt, quaenam roborant quidem  
nervos, nec tamen caleficiunt. Inter palmaria hic commen-  
dandus eſt Peruvianus Cortex, tot titulis in Medicina cele-  
brandus, leni ſtimulo roborans, cuique ineſt, neſcio quid,  
nervis amicum vix definiendum: & Marti quoque quis fuam  
denegabit laudem, cui ſummam roborandi ineſt vim tot ex-  
perientiæ testimonij evictum eſt? Adde his tandem vitæ re-  
gimen, quod medicaminum actioni repondeat; atque ſic  
omnino triftes diriffimi mali ſequelas fugare ſemper tentarunt  
prætantiflimi Medici.

## §. XII.

Magis faceſſit Medico negotiū effufus in craniī cavitate  
humor, qui niſi a bibulis valis reforbeatur, ad anceps deve-

D 3

niendum est auxilium, crani scilicet terebrationem, ut ex inflato huic foramine educi possit. Itaque nihil non moveundum est Medenti, ut dissipetur stagnans liquidum. Venarum scilicet aliquod genus est, "quæ ex tunica cellulari quacunque oriuntur, & aquas hydropicas, vaporem roscidum, adipem solutum, cruorem effusum, sed tabescentem, — in sanguinis massam refundunt" o). Harum in beneficio scilicet ponenda hic est fiducia, cum & in crani atque cerebri cavitatibus numerosissimæ adsint, vaporem, qui his locis copiosus effunditur, perpetuo bibentes, ut ad sanguinis redeat massam; quamvis enim & lymphaticis vasis resorbendi officium impositum sit, & Cl. BOHNUS p) se lymphæ ductus circa anfractus cerebri turgidos vidisse afferat, novissimi tamen Anatomici lymphatica vasa in cerebro non satis certe visa esse affirmant q). Effusos igitur humores eosque potissimum seruos resorberi facillime, & Ill. MORGAGNI r) observationibus, & Cl. PORTAL s) experimentis ita extra dubium positum est, ut certius fere nihil in Arte conjectum sit. Sed de sanguine tamen hucusque dubium fuit Auctoriibus, cum concrescat stagnans, in solidam ex parte mutetur massam, atque ita resorptioni fiat integrus; ideoque ab omni antiquitate, de eis qui sanguinem in calvaria haberent effusum, conclamatum esse, dixerunt Auctores, nisi educi possit. Resorberi tamen posse cruentem in quavis corporis parte, & in calvariae quoque cavitate effusum Cl. WEPFERUS t) contendit, eique suum calculum addit Ill. VAN SWIETEN u), suamque sententiam ex eo probabilem reddit, quod perpetuo humore dilutus, atque tabescens fanguis fluiditatem eam recuperet, quæ ad resorptionem idonea

o) vid. Ill. HALLER. *Prim. Lin. Phys.* §. LI.

p) in *Dif. de Trepam. Difficult.* cit. Ill. MORGAGNI l. c. n. 10.

q) vid. Ill. HALLER l. c. §. CCCXXXIX. r) *Libr. cit. Ep. IV.*

n. 14. 15. & sq. s) Novissimus hic Auctor Liquores apertæ canum calvariae immixtos resorptos vidit; *Précis de Chir. prat.* T. II.

P. I. Chap. I. p. 353.

t) In *Hist. Apopl. Auct.* Schol. ad Hist. 7. citante Ill. MORGAGNI l. c. Epist. 52. n. 21.

u) *Comment.* in BOERH. *Apb.* §. 279.

est; idem & Ill. HALLERUS <sup>x)</sup> existimat; & ingenioso experimen-  
to Cl. ASTRUC <sup>y)</sup> illustravit; consentit denique, majus-  
que pondus sententiae addit Ill. MORGAGNI <sup>z)</sup>, qui ex Clarissi-  
morum Virorum quos adducit Observationibus sagacissime  
concludit, non rara esse exempla, quæ hoc Naturæ opus de-  
monstrent; quid porro ipsius Ill. VAN SWIETEN <sup>a)</sup> obser-  
vationi oppones, quando tumorem, qui infantis caput æquaret,  
totum ab effuso sanguine nigrum evanidum se vidisse testatur?  
Atque tandem eo probabilius resorberi sanguinem præter natu-  
ram effusum existimo, cum & secundum naturam id fieri in  
cavernosis penis alisque corporibus demonstret Physiologe.  
Quamvis autem his argumentis atque auctoritatibus satis esse  
videatur, ex quibus confici possit, sanguinem sub calvaria  
collectum in bibula vasa posse redire, non ingratam Tibi, B. L.  
nec inutilem operam præstirum me esse credidi, dum suau-  
dente Excell. LOBSTEIN, atque Cl. PORTAL exemplo adductus,  
sequens institui Experimentum, cuius historiam sincere hic  
traditurus sum.

**C**ani venatico trepanum applicui, duram aperui menyngem,  
sanguinem siphonis ope ea, qua adigi potuit, quanti-  
tate duram piämque inter matrem injeci; quo facto, craniï  
apertura cera claula, linteis carptis fasciisque idoneis deliga-  
tum est vulnus. Vinculis suis liberatum animal capite grava-  
to, oculis torsi, membrisque erectis mortuo simile per horæ  
& quod excurrit spatium decumbebat. Cor frequens cum in-  
termissione micabat. Lintea Decocito vinoſo Arnicae, Scordii  
ebria caput superimposui. Membra tunc mirum in modum  
per aliquod tempus volutabat animal, ac si convulsionibus de-  
tineretur. Sed profundum mox incidit in somnum, per duo-

<sup>x)</sup> loco supra cit.    <sup>y)</sup> Fustigato fortiter cane, cum fugillationes  
inde oriunda nunc in eo essent, ut evanescerent, occidit eum,  
injecit ligaturam subclavie venæ, vidiisque lymphatica vasa tur-  
gentia, atque spissa rubraque valde lympha repleta. vid. Ejus  
*Traité des Tumeurs & des Ulcères* Tom. I. p. 33. sq.  
<sup>z)</sup> Lib. cit. T. I. Ep. II. No. 16.    <sup>a)</sup> Libr. & §. cit.

decim horas durantem, respiratione valde stertorosa conjunctum, Apoplecticorum adinstar, in quo artus quoque posteriores continuo contremiscebant.

Altero die cum canem e somno excitarem, caput ille erigere, sustentare haud valebat; pedibus commissi suis: sed vertiginose hic illuc vacillans mox concidit rursum ad terram. Lac tamen sorbebat, cui & statim Pulv. Carthus. gr. ij. & Nitri Scrup. j. immiscebam, quod ter quoque de die propinavi. Cum urina sanguinis quandam meiebat portionem b). Vulneris deligatione puris quid jamjam apparebat, & vehemens putris odor nares afficiebat; attamen omnis de cætero plaga bonæ fuerat nota.

Die tertio insignis puris quantitas per linteamenta exsudabat, cæterum bene sese habebat animal, pedibus insistere, parumve incedere valens; lac ut heri medicamentis illis ingessi. Sanguis hodie ex vulva stillabat.

Die quarto noctu canis omnem deligationis apparatus destraxerat, inde hemorrhagia; sanguinis quoque aliquid pure misti cranii aperturæ patentí sese insinuaverat; cerebri porro portiuncula ex flayo nigrescens prominebat, canisque vertiginosus erat, ita ut omnem sane felicis successius spem frustraneam esse censerem. Attamen appetit, ac ante, animal, & ambulabat, licet vertiginose. Camphoram cum Nitro adhibui. Febris adhucdum valida,

Die quinto canis optime se habuit; plaga & bona, dummodo cerebri ex cranií apertura prominens portiuncula, limitibus coerceri suis recusans, reponi potuisset. Cui plumaceolas Aqua vulner. spirituosa Myrrhaeque Essentia ebrias impofui. Vulnus de reliquo solis linteis carptis per totum tempus juxta illam Cl. PIBRAC noviter in *Actis Academicis Chirurgicis* propositam deligavi methodum.

Di

- b) Non immerito hic mihi videoe suspicari, hanc sanguinis per urethram atque vulvam evacuationem Metaftasi fuisse factam: Facit igitur hoc phœnomenon ad ea, quæ §. 10. disputavimus.

Die sexto canem trucidandi consilium cepi, cum diris convulsionibus artuumque posteriorum tremoribus continuis vexaretur; quas sine dubio incarcerata illa nigra cerebri protuberans portio, fungus audit, excitaverat c). Abstuli igitur calvam, folliciteque Encephalon sum perscrutatus. En! jucundum, dum omnia patefacta, sane fuit spectaculum; cum neque sanguinis, neque puris observari potuerit vestigium, licet cuncta felicem Experimenti successum denegaverint phoenomena. Cerebri tota superficies perfecte sana, nec alienus ullibi color, si imam illam in ambitu fungi excipis partem, quæ vasa distenta, insigniter rubentia, fugillationis speciem emulanta monstrabat d).

Hæc igitur cum ita sint, quæ observare licuit, non in septe confici posse credo, resorberi in vasa sanguinem in cranii cavitate confluentem, atque sic manu quasi ducor ad exponenda ea remedia, quibus mirabile hoc Naturæ artificium promoveri queat soleatque.

### §. XIII.

Inter hæc primarium est, atque primum quod nostra consideratione dignum sit, ut scilicet ex venis larga manu detrahatur sanguis. Divinum remedium antiquissimum jam usurpatum Medicis e) suam & apud nos & apud posteros semper tuebitur famam. Eam triplici scopo fieri secundum recentiores memorat Cel. PLATNERUS f), derivatorio scilicet, re-

E

g) Equabat ille mole juglandem: abscondere nefas duxi, ut Ill. VAR SWIETEN Comment. in Apbor. BOERH. §. 268. censuræ me subducerem, cum aliquin sanguinis profluvium metuerem, atque notum esset, cito eos renasci. vid. Eph. N. C. Dec. II. A. IX. Obl. 174.

d) Sanguinis hic statim fieri necessarium erat, cum per osseum circulum eodem modo prementur vasa, quo in compressis herniis fieri solet. e) Multus est in commendanda hic Phlebotomia JACOBUS A CARPO l. c. Cap. XXVI. p. 198.

f) Instit. Chir. §. 1282. Derivationem quidem ac revulsionem ex Hydraulicæ legibus nullam esse probare annis est Cel. SENAC

vulsorio, atque depletorio, & binis his posterioribus quoque in dira nostra valetudine commendanda est; namque, ut depleatur, jugularis venæ sectionem summopere hic commendant Cel. QUESNAY <sup>g)</sup>, atque Cl. MANNE <sup>h)</sup>; ut revellatur saphena aperire suadent iidem Cl. Viri, cumque eis totus doctissimorum Medicorum cœtus. Videbor quidem hic nonnullis docere, quæ sibi contradicant, cum stare simul vix possint depletionis atque revulsionis indicationes; etenim ista veniam secare jubet in ipsa affecta parte, sive ei proxima, hæc vero in remota tundi præcipit. Sed utrique tamen sua sunt tempora, quæ Medico observanda sunt, ut optatus succedat effectus. Differendum hic video inter maximi nominis Autores, quorum præcepta proponenda sunt, ut judicare hac in re queant Eruditii. Scilicet secundum Cel. PLATNERI <sup>i)</sup> præcepta “in Casibus repentinis, & si gravis noxa timetur, veluti, si calvaria fracta fuit <sup>k)</sup>” — — satius est proximum locum prius exhaustiri, & post in ulterioribus locis iterum sanguinem detrahi — — ejusque plurimum, & quantum æ gri vires sustinere possunt, detrahendum est”; ut ita jugularis venæfectio sit protinus instituenda, deinde vero ex Saphena mittendus sanguis. Diversam vero plane ingreditur viam Cl. MANNE <sup>l)</sup>, dum ex brachio vel pedibus confessim plurimum

*Essai de Physique sur l'Anatomie de HEISTER p. 514. & seqq.* Repugnant autem Cel. Viri doctrina elegantissima illi HALLERI experimenta, quæ in *Mémoire sur le Mouvement du Sang* proposuit, eaque evidens faciunt, ruere sanguinem naturæ autocrateia ex omni parte ad vulneratum vas. Nihil certe hic habebit, quod ex machinis suis referat Cel. SENAC, & dolendum sane, quoties doctissimos videmus Viros, qui Naturæ phænomena ad communes corporum qualitates redigere nituntur,

g) *Traité cit. passim.* h) *Opusc. cit. p. 230 & seq.*

i) *L. c. §. 1283.* k) Intelligit hic Cel. Vir ea symptomata, quæ supra commemoravimus. Ea enim secundum antecessorum doctrinam fractas calvae tribuit,

l) *loc. & pag. cit.* De hac quoque materia meruerunt Cel. SYLVA & Cel. QUESNAY, ille in *Traité de l'Usage des différentes sortes de Saignées*; hic vero in *Traité des Effets & de l'Usage de la Saignée*, uterque derivationi revulsionique suam largitur eidem.

extrahi jubet sanguinem, deinde ad jugularis sectionem jubet ut deveniatur, quin imo infaulta quævis ab ea timet, si principio instituatur, cum derivaret potius, quam avelleret sanguinem; ubi autem ista post reliquas celebratur, revulsoriam ei contendit inesse vim. Quid igitur inter has sententias statuendum? Dubium me hærere fateor, atque expectare potius, ut figatur animus Exp̄rtorum Virorum præceptis, quam ut judicem hic agere velim. Videtur tamen Cl. MANNE sententia magis convenire præstantissimorum Virorum, quorum observationes perlegi, procedendi modo, ideoque probabile fit, aliquod esse pondus illis, quas affert Egregius Vir, rationibus. Eodem porro titulo, quo prodest venarum sectio, commendandæ quoque cucurbitulæ, quarum applicationem preter alios docet Cel. PLATNERUS *m*), eodem quoque Vescantia medicamenta & furis & nuchæ imposita; hæc enim stimulant partem, cui imponuntur, humoresque abducunt, sic dum validis his remediis plurimum detrahitur sanguinis, *siticulosa quasi*, ut cum Cl. WEPFERO *n*) loquar, *redduntur venæ*, ut eo magis hient, suamque vim vehementius exerceant; sic a capite avertitur sanguis, ne inflammationem diram cieat, hominemque trucidet; sic denique Cantharidum vi, per consensum, videtur stimulari totum venarum resorbentium systema, ut effusum cruorem lubentius attrahant, atque sanguini reddant.

#### §. XIV.

Et hæc quidem auxilia a Chirurgis peti solent, sed & sua suppeditat ex armamentario suo Medicina. Huc primo *Purgantia*, quæ magnopere commendat Ill. BOERHAAVE, ejusque Ill. *Commentator o*); eaque ex Eccoproticorum genere eligere oportet; his dum blande subducitur alvus, detrahitur quoque humorum massa, simulque fit eorum revulsio, ut a capite avertantur; idemque præstant Clysteres a BERENGA-

E 2

*m*) *Libr. cit.* §. 1297.    *n*) *Hist. Apopl. Autl. Schol. ad Hist. 7. 2<sup>a</sup>*  
tante Ill. MORGAGNI *l. c. Ep. LII, n. 21.*    *o*) *Comment. T. I. §. 279*

RIO p) summopere commendati. Sæpius de cætero percussus homo oneratas habet alienis primas vias, quæ eliminari necesse est, ne data hac occasione febrem accendant nutritive, ac ita hoc quoque titulo utilissima est catharsis. Huc deinde *Diluentia*, quorum nomine fere potus veniunt theiformes, iisque aciduli, qui, ubi ad sanguinem pervenerunt, evacuationes promovent, ad calvariae cavitatem delati stagnantem diluunt, resorptioni idoneum reddunt. Huc porro *Resolventia*, quo nomine medicamenta intelliguntur, quæ quietantes humores attenuant, stimulumque vasis addunt, ut eo alacrius functiones suas obeant; eorumque plura interne sumuntur, alia externe imposita juvant. Commendantur igitur hic præprimis Camphora, quæ, testante Ill. HALLERO, "levi quasi inflammatione excitata — — statim dissipat, hoc vero effecto, quieta omnia relinquit q)," tunc vero Salia media, inter quæ Nitrum, quod dum resolvit, æstum simul temperandi vim habet; confert quoque Carthus, Pulvis, vel Auratum Antim. Sulfur, inter potentissima Resolventia numeranda, quorum Historiam, præparandi methodum atque virtutes eximiæ demonstrat Ill. SPIELMANN, optimus nec unquam satis Venerandus Praceptor r); profund & multa alia, quorum Catalogum recitare incongruum hic duco. Herbae porro quas nervinas atque cephalicas vocant, quæque in Emplastris, Cataplasmata atque Fomenta recipiuntur, in usu quoque hic esse consueverunt Medicis, atque nostris quoque in casibus ab Experientissimis Viris, qui ærorum gerebant curam, optato cum exitu prescripta fuere. Constatbat ex his celebre illud Cel. RUYCHII s) fomentum, quo solo fere in simili casu fiduciam posuit Vir

p) de Fraß. Cran. C. XXVI. p. 198. q) Opusc. path. Obs. 45. p.m. 114.  
r) in Institut. Chemia Exp. 48. & 49. p. 278. usque 282.

s) Non ingratis tibi fore, B. L. si ejus formulam hic apponam :  
r. HB. Bethon. Majoran. aa. M. ij. Salvia, Ruth. aa. M. ij. FL  
Stoech. Lavend. aa. M. j. Ros. rubr. M. j. Coq. S. A. ex f. q.  
Vin. alb. ad lb. iii. Hoc fomento solo mulierem restituit, quæ  
ex curru in terram gelu induratam inciderat. vid. Ejus Obs. Anat.  
Chir. Obs. LX. p. 56. sq.

Eximus, cuius auctoritati merito multum tribuunt Artis Pe-  
riti; quo & Ill. MORGAGNI t) felicissime usus est, adeoque  
illud summis extollit laudibus. Huc tandem quoque aptum vi-  
te regimen, in quo præscribendo multi sunt Auctores, ac  
olim jam fuit inter Veteres BERENGARIUS u); in qua tamen  
re vix perpetua esse præcepta crediderim, cum ex morbi gra-  
vitate, ægri conditione, cæterisque quæ circumstant, omnia  
ea facile colligit Medicus, modo Hippocratei illius semper me-  
minerit: *Quo magis nutrituris, eo magis laetoris x).*

## §. XV.

Sic felicissime cura peragitur non raro, aliquando vero  
major copia sanguinis effusa est, quam quæ resorberi possit,  
aliquando serius Medicina malo paratur, aliquando plus valet  
docta Arte dirum valetudinis genus, ut ita incassum sint omnia  
ista, quæ recensuimus. Patetne igitur alia hic via, humo-  
rem scilicet ex perforata calva evacuando? An admitti potest  
perpetuo ardua ista operatio, ubi effusum in capitis cavitate  
fanguinem suspicari licebit? Difficilis certe questio, quam  
enodare quidem jam suscepereunt doctissimis suis observationi-  
bus atque argumentis Summi certe in Arte Viri Ill. MORGAGNI y), atque Cel. QUESNAY z), cum autem inter doctissi-  
morum eorum Virorum placita aliquis sit dissensus, eo hic al-  
laborandum est, ut recensitis operationis utilitatibus atque in-  
commodis, aliquid tandem statuanus, quod nostrum falem  
figat hærentem animum. Monere quidem hic a limine oportet,  
ea quæ de calvæ perforationis necessitate disputabimus,  
de iis modo infortuniis intelligenda esse, ubi sine ipsis calva-  
riaæ læsione percussum cerebrum habet, atque effusum humorem  
in cranii cavitate alit ægrotus. Cæteras quippe causas manua-  
lem hanc operam sibi reposcentes, qui legere cupit, eum ad

E 3

t) Libr. cit. Ep. LII. n. 19. & 20. u) Lib. cit. Cap. 17 — 21.  
x) Aphor. Lib. II. n. 9. y) de Sed. & Caus. Morb. Ep. LII. n. 12.  
& seq. z) Mem. de l' Acad. de Chir. T. I. p. 188. sq. Précie  
de diverses Observations sur le Trepan dans les Cas douloureux.

Chirurgorum Libros, HEISTERUM a) scilicet, PLATNERUM b)  
 aliosque allegare liceat. Siquidem omnium extatum Scriptores  
 consulere lubet, apparebit certe, mancam semper fuisse  
 hanc doctrinæ partem, atque incerta in ea præcepta. HIPPO-  
 CRATES, triduo ab accepta plaga ad illud auxilii genus deve-  
 niendum esse, docet c); alioque loco, non statim ad mem-  
 branam usque os incidendum esse, scribit d). CELSUS e)  
 deinde, qui ea tere offi fracto tribuit symptomata, quæ commo-  
 tioni atque extravasationi potius adscribenda esse supra proba-  
 tum est: "Antequam ad ferramenta deveniatur, medicamenta  
 „experiunda esse", docet. Ea igitur fere doctrina obtinuit  
 inter Veteres in universum, quam quoque contra LANFRAN-  
 CUM, NICOLAUM, aliosque tuetur BERENGARIUS f); ut,  
 adhibitis incassum medicamentis calvaaperiatur, atque evacute-  
 tur noxius humor. Sic quoque Medici recentiorisque ævi Do-  
 ctores senserunt, interque eos video, qui pluribus post laſio-  
 nem septimanis Trepanum feliciter applicuere g). Nemo ta-  
 men accuratius inquisivit, quibus standum sit ad operationem  
 istam suscipiendam indicationibus, quin potius plerique sive  
 suis in præceptis sibi contradicunt h), sive Observationum  
 nomine, curationum modo historias exhibuerunt, nullis ad-  
 ditis rationibus intermissi sive adhibiti instrumenti perforato-  
 ri i); de quo quoque Artis defectu conquestus est Cel. QUES.

a) In *Instit. suis Chirurg.* P. II. Sect. II. Cap. XLI. Tom. I.

b) *Instit. Chirurg.* §. 552. sq. c) *Libr. de Capitis Vulnerib.* Cap. XX. Edit. cit. T. II. p. 700. d) *ibid.* Cap. XXVIII. p. 706.

e) *Liber VIII.* Cap. 4. f) *Liber. cit.* Cap. 24. & 25.

g) FABR. HILDANUS binis elapsis mensibus post laſionem instrumen-  
 tis feliciter usus est. *Obsr. Curat. Med. Chir.* Cent. IX. Obsr. III.  
 PETRUS DE MARCHETTIS tribus effluxis mensibus. *Liber. citat.*  
*Obsr. VII.* p. 11. Post vigesimam nonam septimanam SCULDETUS  
*Armoni. Chir.* Obsr. XIII. P. II. p. m. 21.

h) Sic sibi non constat PETRUS DE MARCHETTIS, dum *Liber. cit.*  
*Obsr. XII.* p. 17. Chirurgos redarguit, quod perforationi obſtit-  
 erint, quam ipse suaferat, fensum privatione inductus; *Obsr.* vero  
 XV. p. 25. nullum ex privatione fensum periculum imminentem  
 contendit, ideoque remittendam esse operationem. i) Exemplo

NAY, cumque ita corrigere tentavit, ut certas statueret ad celebrandum Trepanum indicationes. Senteentia vero, quam in egregio, neque sine summa voluptate legendo Tractatu proposuit Vir in Arte consummatissimus, ea est; primaria in cunctis lassionibus symptomata, cum commotioni cerebri tribuenda sint, nec requiri, nec admittere calvæ perforationem <sup>k)</sup>, nisi ita sint vehementia, ut de vita protinus periclitetur ægrotus, eo enim in casu ex Cel. Viri sententia effusionem sanguinis simul suspicari licet; ubi autem redeunt iterum iterumque dira symptomata, eo magis festinari debet operatio, quod fierius illa hominem corripiunt, cum ea non possint non a sanguine sive pure cerebrum comprimente, irritante, oriri. His igitur in casibus CELSI axioma observandum esse concludit, anceps remedium potius quam nullum experiendum esse. Et revera quidem anceps illud auxilium hic appellaveris, si pendis animo, æquivoca esse signa, quæ effusionem humorum intra calvariam declarant, nec adeoque eam a commotione fatis certo, primis saltim temporibus posse distinguere. Demus tamen, aliquam certitudinem inesse isti diagnosis, quid tunc? Numne sufficiunt ea, quæ Auctores de loco, qui terebrari debet, recensent signa <sup>l)</sup>? & si sufficerent, occurret certe, sèpius istum esse talem, qui sive terebrari non possit, sive cum summo periculo. Considerandum est præterea, non unum esse eundemque locum, quo lateat sanguis, nec superficiem encephali illum semper tenere, unde educi possit; sed in basi quoque cranii, in ipsius cerebri substantia, in ejus ventricalis: quænam tunc operationis utilitas? Ast largiamur quoque educi istum, potest certe deinde fieri, ut novus ex fauciatis vasis succrescat, cum majora sèpe sint, qui sanguinem fundunt, quem casum ter vidit Cl. BOHNUS <sup>m)</sup>; nec enim hujus generis haemorrhagia compesci potest; tandem

est Cl. LA MOTTE in sua *Chir. compl.* Tom. II. si Observationes, quæ hoc spectant, inter se conferre velis.

<sup>k)</sup> Libr. cit. p. 216. <sup>l)</sup> vid. Ill. VAN SWIETEN *Lib. cit.* §. 283.  
<sup>m)</sup> de Renunc. *Vuln.* S. II. C. I. p. 233.

incolumes siepe vivunt, quibus corruptus sanguis vel pus in cerebro heret, illudque destruit per mensas integros, nec diræ labis apparent signa, usque dum mors immineat, atque immadicabile factum sit malum. Hæc, inquam, qui animo perpendit, mirabilesque rimatur læsionum capitis imperforato cranio curatarum historias, fallor ni totus in Ill. MORGAGNI n) partes transeat, qui plurimum hic vasorum in resorbendo sanguine virtuti tribuit, paucam sive nullam in operatione fiduciam ponit. Fuerunt sane quoque, ut ex BERENGARIO o) cognoscimus, & inter Veteres, qui hoc auxilii genus parvi fecere; præter eos vero & alios Claros Viros etiam Cl. BOHNII p) ejus pericula cognovisse, testatur ejus Opusculum ex professo de hacce materia conscriptum. Quid ergo? an plane hic proscribenda ista operatio? Absit a me ista sententia, qui probe scio, non decere tyronem, ut magnis Artis Magistris præcepta præscribat, quin potius omnino cum Ill. MORGAGNI q) fatear: "Auxilii hoc esse genus, quod caute & opportune adhibitum, utilissimum est atque adeo necessarium, ut inustum sit, illud præter modum abhorrire". Luculenter tamen probasse mihi videor, non temere esse suspiciendam, solisque eis Viris, qui justam magnarum rerum fiduciam habent, relinquendam esse istam operationem.

#### §. XVI.

Atque ita tandem eo pervenisse me sentio, ut, quæ proposui hucusque, breviter nunc repeatam, casuumque quorum historiam dedi, precipua phœnomena ex eis dijudicem. Ut ergo scilicet æger prior auriga, posterior alto stramine onerato curriu insistens, excello fatis incidentes loco duræ terræ impingentes caput offenderant; ut itaque hæ læsiones in eam redeant

n) quam nitide exponit Libr. 2<sup>o</sup> loc. cit. o) Libr. 2<sup>o</sup> loc. cit.  
 p) Conscriptit Cl. BOHNII Dissert. de Trepantanis Difficultatibus ut sua dubia hac in re proponeret; sententiam suam quoque exposuit in Remon. Vuln., p. 205. & sq. q) Libr. 2<sup>o</sup> Epist. cit. n. 22.

fideant Cl. LEDRAN <sup>r)</sup> classem, ubi vehementissima non potest non esse cerebri commotio, cum tota vis pereutiens in illud transeat; itaque & haec Observationes argumento sunt, ex capitum lesionibus eas fere esse gravissimas, quae illæsa theca ossæ, vehementer quassatum ponunt cerebrum, cumque in eis & humorum effusionem contigisse summe probabilis sit conjectura, apparebit, suam eas conferre partem ad probandam Cel. PETIT sententiam, quam supra exposuimus. Inde igitur ea symptomatum series, quæ capite kefosis afficere solet, quamque & in his casibus observarunt Experientissimi Medici; inter ea notabilis ejusdem lateris, quod percutsum fuerat, Paralysis in secunda observatione; cum oppositum fere huic symptomati obnoxium esse contendant plurimi <sup>s)</sup>, mirabilesque ei phænomeno superstruant hypotheses. De sanguineo vero tumore, qui prioris Observationis ægrotó ex capitis integumentis excraverat, si quæris: non difficulter perspicies, sanguinem esse, qui ex debilitatis per icum externarum partium vasis eadem ratione nunc exit, qua ex interioribus capitinis arteriis venisque effluere solet, postquam commotionis symptomata evanuerunt, ita ut nova nunc iterum iterumque prodeant. De alvi vero lotiique involuntario exitu non est, quod hic repetam, quæ supra jam differnit <sup>t)</sup>. Medendi porto methodus, quam inferunt utriusque Observationis Medicis, secundum ea, quæ hactenus ex Auctoriis excerpta proposuimus, maximorum Virorum præceptis maxime consentanea est. Commotionis scilicet sequelas quiete, regimine, roborantibus dissipare summo cum fructu allaboravere. Humor deinde effusionem præcavere partim, partim discutere non oblii sunt potentissimis resolventibus, quæ supra adduximus, externe impositis, interne exhibitis; tuncque Venarum Sectionibus, Cucurbitibus, Vesicantibus ad nucham cruraque, Purgantibus, regimine, quibus simul & cum Antiphlogisticis nuptis metuendam siccavam inflammationem feliciter averterunt. Calvae tandem perforationem inutilem merito censure Experientissimi Viri, cum nec pertinacius durarent symptomata, satisque expedite extravasatus forte sanguis reforberi videretur, nec ullum Calvaria ipsius five fractæ five fissæ appareret indicium, nec, si omnia haec adfuisserint, permitterent adfines, nec cæteroquin satis certus trepano indicaretur locus; licet enim aliiquid tribuant hic Auctores involuntaria illi manus ad percussum locum admotioni <sup>u)</sup>, negari tamen nequit, non posse in sola ista

## F

<sup>r)</sup> *Observ. de Chir.* Tom. I. p. 109.

<sup>s)</sup> Fuse hac de re disputat III. MORGAGNI Epist LI. n. 46. & sq.

<sup>t)</sup> §. 8.

<sup>u)</sup> vid. Ill. VAN SWIETEN *Comment.* §. 276. n. 4.

indicatione plenam poni fiduciam, quin potius plurium concursum requirunt hic Auctores, ut aliqua concilietur certitudo. Ita sine calvæ perforatione curatas laesiones capitis gravissimas memoriae prodiderunt fide dignissimi Scriptores. Talis certe illa est Cl. BOUDOU a Celeb. QUESNAY *x)* recensita; in ea quippe rediere bis atque ter sœva symptomata; eum tamen ægrum medendi recensita methodo insistens, ex orci fauibus erupit Peritissimus Chirurgus: Miranda certe quoque ea est, quam ex Cl. MANNE *y)* excerptam supra adduximus, quaque constat, Summi Principis filium per quatriodium commotionis cerebri symptomatis detentum ita servatum fuisse, ut Trépanum adhibere renuerit Cl. Auctor, folisque Venæctionibus ponere fiduciam; ob eam quoque rem calunnia tela expertus. Adde porro his III. MORGAGNI *z)*, Cel. RUYSCHE *a)*, reliquas Cel. QUESNAY *b)* atque CL. MANNE *c)*, alias deinde Cl. REICHH *d)*, MAUCHARTI *e)*, Cel. HEISTERI *f)* aliorumque memorabiles Casus, quos omnes follicite colligere, amplius recitare, supervacuum tædiosumque fore existimavi. Sufficient vero hæc, ut appareat, summe esse probabile, paucum extra suos cancellos hærentem sanguinem posse omnino a bibulis assimi valis, ubi Naturam rite juvat ejus Minister; deinde vero ex eis, qui caput habent percussum, atque sola cerebri commotione, sanguinis intra calvariam effusione decumbunt, minimam partem Trepando tentandam esse, ni potior adsit ex ipsa calvaria laesione desumpta indicatio.

*x)* Mem. de l' Acad. de Chir. T. I. p. 199.

*y)* Observ. de Chir. Sc. p. 205. sq.

*z)* Libr. cit. Epist. LIII. n. 20. 21.

*a)* Observ. Med. Chir. Obs. LX. p. 56.

*b)* Libr. Sc. loc. cit.

*c)* Opusc. cit.

*d)* in E. N. C. Dec. II. Ann. IX. Obs. 221. p. 405. sq.

*e)* Libr. cit. Cent. IX. Obs. 39. p. 97. sq.

*f)* Medic. Chir. und Anat. Wabrn. Obs. 641. p. 1059.



Straßburg, Med. Diss.,  
Ad. Jacobi-  
Kilian  
f  
sb.



W.M.



